

*P A R S V.**Indicationum inuentoria.*

HÆc de externis, internisq; causis, de iudicijs, deq; vniuersa affectus peruestigatione, ac dignotione iam satis: quare iam ad solennem, atq; expetitam vsu curationem aggrediamur: quæ nostra medendi ratio tametsi plurimum à vulgata dissenserit: nihilominus rationi, atq; experimento probatior, non dubito apparebit. Cuius hæc sunt fundamenta.

I. Morbus hic nos oppugnat prauitate non plenitudinis excessu: Ergò remedijs prauitati obsistentibus abigendus; Alexipharmacis quippe, quæ vitij vim ex aduerso frangunt.

Quoniam autem humores puerorum corporibus mali subsunt: hi propugnandi sunt catharticis, quorum Authore Galeno eom. i 2. lib. i. aph. proprium est, succos malos à bonis secernere.

II. Verum quia sordes putrescentium humorum densa nimis, & altè hærens est substantia: exigit hæc cathartidorum vim valenter commouentem, & de partibus omnibus extrahentem, & tam, inquam, ex inferioribus, quam ex superioribus.

III. Quoniam autem morbus cacoches
est,